

Sacra Nuptialia

Maximorum Conjugum,
SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,
DN.

JOHANNIS GEORGII,

Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium, Angriae i-
tem ac Westphaliae, Landgravii Thuringiae, Marchionis Misniae,
& utriusq; Lusatiae, Principali dignitate Comitis Henneber-
gici, Comitis in Marca, Ravensberga & Barby,
Dynastae Ravensteinii &c.

PRINCIPIS AC DOMINI,
NEC NON NUTRITORIS NOSTRI
CLEMENTISSIMI,

Ut &

SERENISSIMAE PRINCIPIS
AC DOMINAE,

DN. FRIDERICAE ELI- SABETHAE,


Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium, Angriae i-
tem ac Westphaliae, Landgraviae Thuringiae, Marchionissae
Misniae & utriusq; Lusatiae, Principali dignitate Comitis Hen-
nebergicae, Comitis Marcae, Ravensbergae & Barby,
ut & Saynae & Witgensteinii, Dominae
Ravensteinii, &c.

PRINCIPIS AC DOMINAE NOSTRAE
ITIDEM CLEMENTISSIMAE,


Cras, annuente DEO,

H. L. Q. C.

Humillimo pietatis officio
celebranda,
decentissime indicat

M. JOHANN. CHRISTOPH.  Stange/
Phil. Civil. & Eloqv. Prof. Publ.

LEUCOPETRAE, Charactere Brühliano.





Llustre ac elegantissimum monumentum est, quod de Carolo V. ejusque matrimonio nobis reliquit antiquitatis, rerumque memorabilium fidelissimus custos, Octavius de Strada. Isabellam, Lusitaniæ Regis filiam, vitæ consortem sibi delegerat Imperator; Suis ergo, quam bella hæc uxor, quibusve instructa sit dotibus, ostensurus, tres Gratias finxisse dicitur, quarum prima rosam, altera myrtaceum, & ultima tandem quernum ramusculum, glandibus fœcundum, manibus tenebat, addita inscriptione: *Has habet & superat*. Digna mihi res visa est, in quam penitus introspiciam, cujusque singulas partes accuratius perlustrem. Gratias, quas Græci Charites vocant, vel ab ipsa Venere oriundas, vel certe ejusdem sorores fuisse, fabulosa tradidit antiquitas. His ergo dum auctor hujus monumenti assimilat Isabellam, & quam illustri ortu enituerit; & quam insigni corporis gratia valuerit, significasse videtur. Nec temere tres eum Gratias meminisse crediderim; semper enim sacer habitus, Deoque gratus & acceptus fuit numerus ternarius, ut Maronis quondam Pharmaceutria eecinit: *Numero Deus impar* (non quovis, sed ternario imprimis, interprete Natal. Comite) *gaudet*. Trita quoque & pervulgata Pythagoræorum hoc de numero fuit sententia: *πάντα τὰ ἀνθρώπινα συνέχεις ὅμνια humana complectitur*. Trigam ergo hanc Charitum Summæ ac absolutæ perfectionis, quantam quidem mortalium fert conditio, indicem esse voluit Isabellæ commendator. Sed mittimus communia, ad ea, quæ singulis addita sunt ornamenta progressuri. Primæ è tribus sororibus rosam tribuit, quam veterum Poetarum figmenta florum Reginam fecerunt, seu quod cæteros odoris præcelleret fragrantia, seu quod sola reliquorum, Divûm Reginæ, hoc est Veneris, cruore imbibito, in Regium quvipiam transmigrasset. Cujus rei ipse testis est flos princeps:

Alba fui quondam, rubri quæ causa pudoris?

Me proprio tinxit sanguine pulchra Venus.

Quanta præterea omnibus ferme malis medendi vi polleat rosa, florum decus, cœlitumque voluptas; quibusve aliis insignis sit vir-

525

virtutibus, id naturæ interpretibus æque difficile est sigillatim percensere; quàm grave est apta & digna oratione ad principem fœminam transferre. Lubet ergo ulterius persequi institutum, & quid altera Gratiarum manibus gestet, videre. Myrtaceum, uti dictum, ramusculum tenet, sine dubio honestæ illius lætitiæ & voluptatis, quàm ex mutuo consortio capiunt conjuges, certissimum indicium. Hoc enim veteribus notabat Myrtus, quoties in nuptiis cum Hebræorum, tum aliarum gentium adhibebatur. Frondes tandem quernæ, quibus ultima charitum exornata est, plurima quidem, nec ab instituto aliena supeditant; sed cum compendium faciendum sit dicendorum, satis erit, si fœcunditatem matrimonii eas referre dixerò. Ridelicium quidem, & inter maxima veterum deliria numerandum est; ubertatem tamen & fertilitatem quercuum maxime declarat; quod de Arcadibus memoriæ proditum legimus. Adeo rudis & inconditus huic populo sensus erat, ut priscis illis temporibus, nondum cognita consuetudine maritali, homines quercuum, aliarumque arborum progeniem fuisse crederet. Quo illa Statii in Thebaide trahunt:

- - *Nondum arva, domusque nec urbes
Connubiisque modus. Quercus laurique ferebant
Cruda puerperia, ac populos umbrosa creavit
Fraxinus, et fœtâ viridis puer excidit orno.*

Sed satis de nuptiis Carolinis; avocat enim jam mentem Augustissimum connubium Celsissimorum Conjugum, *Serenissimi Principis ac Domini, DOMINI JOHANNIS GEORGII*, Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium, Angriae item ac Westphaliae &c. Ducis inclytissimi, Principis ac Domini, ut & Nutritoris ac Conservatoris nostri multo clementissimi: & *Serenissimæ Principis ac Dominae, DOMINÆ FRIDERICÆ ELISABETHÆ*, Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium, Angriae & Westphaliae Ducis &c. usque quaque splendidissimæ; Principis ac Dominae nostræ similiter multo clementissimæ. Cras enim, annuente Deo, felix faustusque recurret dies, quo duo hæc *Serenissimorum Principum* pectora in unum coaluerunt, sanctissimumque conjugii fœdus inierunt. Habeat sibi Isabellam suam Carolus Imperator; habeat cum ea quot velit charites; efferant Scriptores quibuscunque velint laudibus utriusque sortem maritalem; nec huic certe, nec ulli alii gloria, Majestate & felicitate dispar erit par nostrum *Serenissimum*. Si simulacris agendum esset, eadem & *in Serenissimam nostram*

526
FK Xa 4384

stram convenirent, quibus olim usus est Carolus. Charites sibi exoptet *Princeps* noster *Serenissimus*, unam suam *FRIDERICAM ELISABETHAM* vel mille Gratiis præstare, easq; tanto superare intelliget, quanto ipsius Dei immortalis effigies nugacissima illa humani ingenii figmenta antecellit. Rosa erit *Serenissima conjux*, quoties per Augustissimum non solum Augustoburgum, sed per omnes etiam mundi plagas sese diffundet divinarum virtutum fragrantia. Myrtus erit, quoties suavissima blanditia, potenti voluptatis effectrice, animum *Serenissimi Conjugis* capiet & constanter tenebit. Nec dubium est, quin in Nostra quoque spem illam eximiam DEUS impleturus sit, quam quæna frons faciebat Isabellæ. Hæc ornamenta sunt, quæ *Augustissima Princeps* nostra communia habet cum dicta Imperatrice; verum cum longe angustiores sint isti fines, quam ut amplissimæ tantæ Heroinæ dotes iisdem terminentur, ea, quæ nec animus, nec calamus assequi valet, semper notabit adjicienda inscriptio: *Has habet & superat.* Nihil hæctenus dixi de Pietate, virtutum principe; nihil dixi de divino sapientiæ dono, quo nihil in Principe cœlestius; nihilque gloriosius; nihil dixi de iis, quibus & inter Principes mirum in modum eminent *Dux nostra Celsissima*. Quis non Amazonum aliquam Principem in *FRIDERICA* nostra *ELISABETHA* revixisse crederet, quoties eam scienter tela vibrare, Heroum instar equo vehi, & alia peragere videt, quæ omnem sexus sequioris consuetudinem excedunt. O Te felicem, *JOHANNES GEORGI*, qui tantæ principis gaudes consortio! O Te felicem, *FRIDERICA ELISABETHA*, quam tanti Ducis consuetudine dignam judicavit Numen. Quam læti cras, opitulante Deo, H. L. Q. C. clementissime demandatum munus exequemur, utrique *Serenissimorum Principum* de Sacro hoc, omniqve ex parte felici contubernio *qua decet animi submissione* congratulaturi, Deoque, unico felicitatis hujus auctori humillimas gratias persolaturi. Quicunque igitur *Serenissimis, multoque clementissimis Patriæ Parentibus* bene cupiunt, hos, ut dictæ solennitati faveant, futuramque eorum salutem & prosperitatem votis omnibus nobiscum à DEO expetant, omnes ac singulos, cuiuscunque ordinis sint & dignitatis, quam decentissime rogo & obtestor. P. P. die festo, tribus Regibus Sacro.

A. O. R. M. DC. XCIX.



1077

nc

Weissenfels.
K. 16, 10

X 2002 475

Xa
4384

Sacra Nuptialia

Maximorum Conjugum,
SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,

JOHAN

Ducis Saxoniae, Jul
tem ac Westphaliae, La
& utriusq; Lusatiae, F
gici, Comitiss
Dyr

PRINCIPIS

NEC NON N

CL

SERENIS

A

DN. FRI

SA

Ducis Saxoniae, Ju
tem ac Westphaliae,
Misniae & utriusq; Lu
nebergicae, Com
ut & Sayn

PRINCIPIS A

ITIDEM

Hui

RGII,

n, Angriae i-
chionis Misniae,
s Henneber-
Barby,

MINI,

OSTRI

CIPIS

E ELI-

n, Angriae i-
Marchionissae
Comitis Hen-
& Barby,
nae

OSTRAE

MÆ,



decentissime indicat

M. JOHANN. CHRISTOPH. Stange/
Phil. Civil. & Eloqv. Prof. Publ.

LEUCOPETRÆ, Charactere Brühliano.

